

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0145

0143

0149

0139

0154

0134

0194

0094

0244

0044

0644

Ende

Anfang

134

religiosis. Si placet pulchra de praeclaris gentilium mulieribus legere, vid. Hieronym. in epistola ad Geruntiam, quae habetur Vol. II. lib. 3. Tract. 7. fol. 194. Sexta die, quae est transfigurationis Domini, in aurora convenimus in monte Syon, media autem pars fratrum montis Syon ascenderunt nobiscum in montem Oliveti et ecclesiam ascensionis Domini, cum calicibus et paramentis, et ibi solenniter Missam cantavimus de transfiguratione Domini, ac si fuissemus (in) Thabor. Aderant autem Officio nostro multi Christiani orientales, (B) quia diem transfigurationis Domini inter maximas solennitates venerantur. Unde quasi omnes ecclesias suas consecrant in honorem S. Sophiae, i. e. transfigurationis Domini. Et sicut nos depingi facimus in ecclesiis nostris Crucifixum, et extremum judicium, sic in ecclesiis orientalium principalis pictura est transfiguratio Domini cum Moyse et Helia, et tribus apostolis in terra jacentibus. Finitis Missis circuivimus ipsam ecclesiam, et supra ipsam quanto poteramus ascendimus ad circumspiciendum; de ea enim est respectus in mare mortuum et longe lateque per terram sanctam. Porro in ipsa ecclesia stant columnae marmoreae politae, inter quas est una, quam orientales Christiani brachiis circimplexabantur cum risu, et omnes tentabant, si digitis unius manus contingere possent digitos manus alterius. Nisi enim homo habeat longiores digitos, non potest manum manu amplexando tangere, putant autem illi superstitiones orientales, quod ille, qui id facere potest, sit magis fortunatus, et quod sit signum cuiusdam magni boni. Diu steti in loco et eorum phantasias consideravi. Post eos etiam nos occidentales jocando lusimus, mensurantes columnam, et directe potui extremitates longiorum duorum digitorum conjungere, cum forti tamen complexu et pressura. De illa ecclesia vide fol. 148 A.

Post haec gyrvimus montem sanctum et loca ejus sancta visitavimus, et ingressi urbem per portam S. Stephani ad domum Pilati deosculandam accessimus. Dum autem intellexissemus, patronum domus non esse in civitate, pulsavimus, et intromissi per ejus filias locum martyrii Christi visitavimus. Si enim praesens homo fuisse, nequaquam nos intromisisset, et ad hoc nec prece nec pretio induci poterat. Filiae tamen

